PRAEFATIO EDITORIS.

Si in omni alia historiae naturalis parte pressius sequi immortalem Autorem, muneris mei esse putavi, in hac certe viam ab eo calcatam et praemonstratam paulisper deserere consultius duxi; non enim merae modestiae, sed veritatis sigillo notata sunt, quae in primis suae praefationis lineis enunciavit.

Quamvis multa sagax praevideret, quae nostra demum aetas in apricum protulit, tam multa tamen, sive ad principia, ab eo ad explicandam mineralium generationem, et formam praesentem stabilita, sive ad distributionem in classes, ordines, genera et species, ae fundamenta, quibus illa nititur, sive denique ad notas respicias, quibus et genera et species distinxit, tum immutanda, tum addenda occurrunt, quae aut fertili suo ingenio hinc inde nimis indulgens, praetervidit B. Autor, aut tum coaevorum ipsorumque ejus popularium, tum mineralogorum nostram hanc aetatem ornantium *T. Bergmani*, *Scheelii*, *Ferberi*, *Kirwani*, Generosiss. de *Veltheim*, *Trebras* et *Wulfen*, *Saussurii*, *Hoepfneri*, *Storrii*, *Mayeri*, *Meyeri*, *Klaprothii*, *Gerhardi*, *Brückmanni*, *Werneri* et praecipuorum Clariss. Viri discipulorum *Voigtii*, *Karstenii*, *Widenmanni*, *Hoffmanni*, porro *Pallasii*, *Georgii*, *Fortis*, *Sc. Brislacii* aliorumque indefessa industria recentius detexit, aut felicius ingenium dilucidius exposuit meliusve perspexit.

Aquae suos natales debere terram vel refragatur omnibus quas de ortu terrae ejusque et aquae vera indole concipere licet, conjecturis, vel ambigue saltem dictum est; plurimam terrae partem, quam nostra hac aetate et a multis retro seculis siccam colimus, olim infra aquas haesisse, marisque undis tectam, et superiora terrae nostrae in plurimis regionibus strata, non constent nisi terra ex his aquis, per quas antea dispersa erat, praecipita-

cipitata et animalium, quae quondam has aquas inhabitabant, ruinis, cuilibet naturae officinam attento animo perluſtranti, ultro patet.

Terras aceſcendo vel putreſcendo gigni non niſi de humo valet; calcem non omnem ex animali regno proficiſci, tot montium calcariorum primaevorum, ſive aetate corporibus animalibus ſuperiorum exempla edocent; argillam plurimam ex fatiſcentibus petris durioribus, ſive ignis ſubterranei vi progenitae fuerint, ſive aliam originem nactae, quales v. g. ſpathum ſcintillans, ſchiſtus, mica &c. tot obſervationes noſtris temporibus ubivis obviae loquuntur; multam arenae partem idem primordium capere, aliam non quidem ex aqua, ſed aquae, dum ex ſummis montium cacuminibus praeceps agitur lapidum fruſta ſecum rapientis et triturando in granula comminuentis vi oriri, neminem, qui naturae continue agentis contemplatione delectatus, latere putem.

Talcum pluresque lapides, quos B. Autor huic generi ſubjecit, et asbeſtos terram continere, quae, quamvis a *B. Marcgrafio* jam tanquam pars princeps evidentiſſime demonſtrata ſit, ab ipſo neglecta fuit, magneſiam albam ſcilicet, novimus omnes; hanc autem ex argilla naſci, quis, quaeſo, aſſeverante quamvis *Linnaeo*, ſibi perſuadebit?

Schiſti partem ex humo naſci, negari vix poteſt; plurimum vero lapidis, hoc nomine deſignati partem, et humo, et omnibus corporibus vivis, ex quorum ruinis humus exſurgit, antiquiorem eſſe, ejus in montibus ſitus luculenter teſtatur.

Ochram in quam ſchiſtus interdum reſolvitur, non a materie ſchiſti ipſius, ſed ab innidulante ſaepius et fatiſcente pyrita proficiſci, facile eſt demonſtratu.

Calcem in ſilicem converti ſunt utique et noſtra hac aetate, qui contendant; at caveant, ne meram ſegregationem particularum ſilicearum a calcareis, quibus ſaepe intertritae ſunt, pro commutatione harum in illuc habeant.

Cryſtallorum generationem ſalis adminiculo mirifice promoveri, ex officinis chemicis conſtat; conſtat etiam, terras aqua

acido

acido aëreo impraegnata ſolutas hoc ſenſim ſenſimque effugiente facilius longe cryſtallorum forma praecipitari; neque tamen inde concludi poteſt, omnibus cryſtallis lapideis, ut gignantur, ſale quodam opus eſſe, et multo minus, omnes cryſtallos lapideas ſalem continere, aut ſalia eſſe, quum chemicum ſcrutinium in plurimis certe earum ne miculam quidem ſalis detexerit, et omnibus eſſentiales, ab ipſo B. Linnaeo exactae, ſalium notae deſint.

Colorem lapidum terrarumque caeruleum atque viridem frequentius a ferro provenire, quam quidem a cupro ſerius examen edocuit; magneſiam quoque nigram in tingendis atque pingendis aliis mineralibus ſaepius a natura adhiberi, *Mayeri* inprimis opera novimus.

Metalla ex terra, ſale et ſulphure conſtare vetus quidem eſt opinio; verum an perinde vera, noſtrisque temporibus confirmata? Vix videtur.

Petrificata, uti appellunt, noſtris temporibus omnino viſa ſunt in quartzo et calcario ſpato.

Fiſſuras rupium exſiccatione, aquae ſenſim ſenſimque penetrantis, ſolventis, eluentis, dum in glaciem abit, diſtendentis vi, terrae motibus vehementioribus, ignis ſubterranei violentia natas eſſe, valde probabile eſt.

Molybdaenum metallicae eſſe indolis noſtra aetas confirmavit; metallo tamen et ab omnibus aliis, *B. Linnaeo* jam cognitis, et ab eo metallo, quod tum magneſiae nigrae, tum ſpumae lupi ineſt, quas ille in unum genus cum molybdaeno confuderat, diſtincto.

Lapides judaicos echinorum quorundam aculeis ſuos debere natales, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.